



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Iacobi Laynis Secundi Societatis Iesv Generalis  
Alphonsi item Salmeronis Vnius in primis decem Socijs**

**Ribadeneyra, Pedro de  
Coloniae Agrippinae, 1604**

Liber Secvndvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11740**

70 DE VITA  
IACOBI  
LAYNIS

Societatis IESU Præpositi  
Generalis ab Ignatio  
Secundi.

LIBER SECVNDVS.

*Rem Societatis publicam Præpositus ge-  
neralis administrat. Alphonsi Ca-  
strij apud Indos Mar-  
tyrium.*

CAPVT I.



Onuentu dimisso, pro-  
fectisq; in prouinciam  
socijs, nihil habuit LA-  
YNE S antiquius, quã  
vt ad societatem con-  
firmandam, iactis pridem ab Ignatio  
fundamentis feliciter, curam, cogi-  
tationemq; conuerteret: Tergiuer-  
sandi enim nullũ amplius relictum  
videbat locum. Hoc itaque in primis  
studio fuit, vt Constitutiones diuini-  
tus ab



I  
 rus ab Ignatio oratione, experimen-  
 tisq; conscriptas, promulgaret, ser-  
 uandasq; religiose, addita epistola,  
 commendaret. Viderat enim acutè  
 vir prudens, permagni interesse in  
 tanta nationum, ingeniorumq; varie-  
 tate, vno omnes communiq; Præce-  
 ptionum vinculo inter se colligari:  
 nimirum vt esset, quemadmodù con-  
 sensio, amorq; mutuus; sic & morum  
 sententiarumq; similitudo: ceteroqui  
 in ciuili hominum vita, factiones,  
 secessionesq; nasci. Quæ in Prouin-  
 cijs singillatim seruanda conuentus  
 præceperat, eadem re ipsa publico  
 commodo geri mandat, vt in dies in  
 immensum, quod euenit, cresceret  
 societas, nihilq; res Christiana detri-  
 menti caperet. Italiam quoq; sociorū  
 prouinciam, quæ Italiam vniuersam,  
 Neapolitano regno excepto (cui Al-  
 fonfus Salmeronius præerat) com-  
 plectebatur, quod maior esset, & va-  
 stior, quam vt ab vno Prouinciali  
 præposito, vt illi annos aliquot vsu  
 venerat, obire commode, ac lustrari  
 posset, in duas diuisit. Insubrum al-  
 tera

tera



tera Prouincia facta, vulgo Lombardiam à Longobardis appellant: quam ipsam hodie in duas diuisam, Mediolanensem, & Venetam, videmus. Præfectus illam administrare coepit LAYNIS iussu Benedictus Palmius: cui & concionibus, & singulari pietate augere eandem studium fuit. Altera item Etrusca prouincia facta, quæ à Ligurum ora ad Anconam vsque, superi maris portum, pertinet: ambitu suo complexa, & Umbriam, & Agrum Picenum, quem Marcam Anconitanam incolæ nominant. Huic itè Præfectum cum Imperio Petrum Ribadeneyrâ dedit, qui Ignatij vitâ duorum item præpositorum Generalium (qui eius Magistratum proxime exceperunt) Hispanico sermone, Ignatij etiam Latine summa fide elegantiaq; conscripsit. Cæteris item prouincijs ab Ignatio constitutis, recetes socios Præfectos dedit, & aduigilare iussit. Quo factum, vt breui communis res societatis bene sit gesta. Quam recens natam stirpem, vt olim Ecclesiam, incrementum sumere sanguine irrigatam



ram sociorum voluit Deus. Namque  
 LAYNIS gubernacula mors illu-  
 stravit Alfonſi Caſtri Luſitani, anno  
 poſt Chriſtum natū 1558. Hic decimo  
 ante anno primum Malacæ ſacris o-  
 perari cœpit circiter Kal. Iunias ma-  
 gna neophytorum incolarumq; læti-  
 tia. Franciſcus Xauerius, qui primus  
 ſociorum Euangelium Chriſti apud  
 Indos, & Iaponios promulgavit, il-  
 luctum inde traicere parans, com-  
 modum appulit, ſacrumque Caſtro  
 concione de ſuperiore loco cokone-  
 ſtauit. Vndecim is poſt annos Molu-  
 cenſibus in inſulis Indiarum Orientis  
 ſocios pie rexerat; Mauræ dehinc in-  
 ſula, in Irim, Ternatæ finitimam co-  
 gitans conſcenderat. Ibi à perfidis  
 barbariſq; nautis proditus, captusq;  
 & vinctus Saraceno tyranno, quod  
 Chriſtianus eſſet & ſacerdos, tradi-  
 tur. Quintum iam diem manibus, pe-  
 dibuſq; trunco viridi alligatus ſub  
 dio, & ſoli obiectus iacuit. Deinde  
 per aſperas rupes, reuinctis poſt ter-  
 gum manibus, raptatus, multisq; vul-  
 neribus confoſſus, in mare deturba-  
 tur.

1558.



tur. Tertio post die, diuina prouidentia, ad littus cadauer, miro splendore clarum, cum adnataffet, recentiaque vulnera ostendisset, licet æstus Oceani summus ijs in oris existat: id sapiæ, innocenterq; actæ vitæ argumentum bonis pijsq; fuit, qui mortē eius pro eo ac debuerant, luxerunt; quia & barbaris flebilis ea mors accidit, quibus & sanctitatis opinione carus, acceptusque erat. Cædis immanes auctores, percussoresque exitum se dignum repererunt: quippe qui partim pulueris tartarei ictib⁹, partim sacro igne, quē S. Antonij appellāt, periere.

*Socios in Euangelij apud Indos predicatione occupatos per epistolam consolatur. CAP. II.*

**C**Astri martyrio inuitatus LARNE S, sociorū caritate flagrans, ceteros qui apud Indos peregrinabantur, officij admonēdos solandolque ratus, Epistolam scripsit, quam propter eos potissimum, qui in eandem à Deo expeditionē vocati sunt, hic non ad scribere pigebit.

*Et si*



Etsi datis de cōmuni re litteris ad so-  
 cios, qui cum auctoritate istic president,  
 meo defungi munere possem, tamen quia  
 vos, Fratres carissimi, visceribus inscri-  
 ptos circumfero, animo indulgere meo,  
 dum paucis vobiscum ago, vosq; in Do-  
 mino hortari simul, & solari placuit: pro  
 quibus preces quotidie socios, non Roma  
 solum, sed & omnib. in prouincijs Euro-  
 pa fundere iussi, vt parens ille Deus bo-  
 nis vos omnibus, ac virtutibus cumulet:  
 conatus quoq; & cogitationes magno Ec-  
 clesie commodo in maius prouehat, tan-  
 demq; ad æterna beatitudinis portū de-  
 cursu per breuis vitæ spatio, perducatur,  
 magnum quidem esse Dei in vos benefi-  
 cium existimandum est, quos in societa-  
 tem filij sui vocauit: amplius tamen, ac  
 pœne singulariter de ijs socijs meretur,  
 quos istuc ad Euangelij prædicationem,  
 arduam sane ac perdifficilem, barbaras  
 inter gentes, legauit, opibusq; instru-  
 xit immensis; quo maior ea Indica ex-  
 peditio est, & ad plures animorum salus  
 pertinere videtur: idq; magno cum inco-  
 larum

Laynam



larum emolumēto, & vestro. Incolarum  
quidem, quod non eos solum, qui Christo  
pridē nomina dederunt in religionem ma-  
iorū confirmatis ( vt in his locis agere cō-  
sueuimus ) & in officio continetis, sed &  
alios in dies Idolorum Dæmonumq; cul-  
tores, atq; mancipia, in veram Christi  
libertatem vocantes, hæredes regni ce-  
lestis efficitis cohæredes autem Christi.  
Vestro item commodo, quod non de om-  
nibus bene mereri tantum istic liceat,  
hortando, erudiendo, consolando, cate-  
risq; Christianæ caritatis officijs, verum  
etiam quod ferre constanter aduersa, at-  
que acerbæ persecutionū queatis, vt non  
laborem duntaxat industriamq; pone-  
re, sed sanguinem vitamq; profundere  
parati sitis, Apostolorum Christi ac di-  
scipulorum exemplo, cuius profecto no-  
men barbaris gentibus importantes e-  
iusdem causa si opus sit, mortem appeti-  
re non dubitetis. Quamobrem licet cha-  
ritas non amuletur, non desunt tamen  
socij complures, qui vobis hanc felicitate-  
tem, pœne dixerim, inuideant, plurimas

itaq;  
deri  
tam  
inge  
ctio  
mar  
mat  
tis,  
sci i  
velu  
Lyd  
nibu  
piti  
spe  
mar  
pre  
pers  
lute  
min  
stua  
ne,  
pos  
te,  
risq;  
etia



itaq; sociorum laborum comites, si desiderijs obsecundandum esset, haberetis: tamē submittam in tempore vinea istius ingentis, & messis albæ operarios selectiores, maximeq; idoneos. Illud affirmare liquido possum, magnam istic vobis materiam, & segetem exercendæ pietatis, ac patientiæ Christianæ in dies nasci in tot tantisq; aduersis, vt fides vestra, velut aurum, quod per ignem probatur, Lydioq; lapide exploratur, persecutionibus nunc probetur. Deum itaq;, si sapitis mente perpetuò, vt præsentem inspectorem, oculisq; gestate: qui vbi humana deficiunt solatia, tum demum suis præsto adesse solet. Deinde illud vobis persuasum cupio, qui animorum istic salutem quæritis, eo vos vberiores in Domino fructus collecturos, quo plus operæ, studijq; in animi integritate, demissione, obedientia, tolerantia, & caritate posueritis. igitur officij vestri existimate, non solum consolationem socijs, exterisq; in Europa hominibus adferre, sed etiam victa, quã sustinetis, expectatione  
*exemplo*



exemplo esse nobis, & emolumento: ut  
 pietatis nos odor afflet, bonamq; nobis  
 existimationem conciliet. Quare, fratres,  
 hortor, & moneo, ut licet in dies salutis  
 animorum zelū crescere oporteat, vale-  
 tudinis tamen rationē habeatis, quo la-  
 bores quā diutissime, constantissimeq;  
 tolerare possitis. Animo vero principua  
 cura adhibēda, ne socordia, atq; ignavia  
 languescat: quin potius pietatis studium  
 augeatur. Vestri enim esse iuris desistis,  
 cum votis vos obstrictos in hanc expedi-  
 tionem, Deo victimam, sponte obtulistis.  
 Quae cū ita sint, cautē in gente peruersa  
 ambulandum, ne coinquinemini, censeo:  
 ut licet claustris non conclusi, libero pas-  
 sim, & caelo, & solo vagemini absq; in-  
 spectore, & arbitro societatis, legibus vos  
 tamen solutos non esse existimetis. Ti-  
 mor itaq; Dei, votorumq; religio in offi-  
 cio continere singulos debet: Tempora  
 nonnihil diurnis negotijs eripiendum,  
 tribuēdumq; more, institutoq; societatis  
 orationi, excutiendaq; conscientia in  
 medijs officijs animarūq; curis. Sin pra  
 negotiorum



negotiorum mole non vacat frequenter  
 Deum precari, animum tamen expedit  
 identidem in Deum tollere, præsentemq;  
 circumferre. Succedant & in precatationis  
 assidue locū spiritus exercitationes, cum  
 per otium cuiq; licuerit: Equidē sic mihi  
 persuadeo toto anni curriculo, temporis  
 aliquid suppetere ijs, qui Gentium con-  
 uersioni dant operam: quo tempore colli-  
 gere sese commode queant, quæq; ges-  
 serint, ad vnguem explorare, cum præ-  
 teritis præsentia componendo. Rationes  
 itaq; vsu, experimentisq; edocti, nouas  
 excogitare in dies procuranda Indo-  
 rum salutis assuescant: eas mox ad su-  
 periores, quoad eius fieri potest, referāt,  
 eorumq; consilijs pareant, dictoq; au-  
 dientes, barbaris hominibus virtutis ex-  
 emplum præbeant. Quo fiet, vt Deo bene-  
 inuante res omnes vobis ex animi sen-  
 tentia eueniant. Sic illum vniuersitatis  
 Moderatorem vobis propitium precor,  
 precaborq; assidue, vt magna in dies  
 virtutum, pietatisq; accessione, eius  
 præceptis, consilijsq; volentes pareatis,  
 vitæq;



*vitaq; tandem fruamini sempiterna. Roma pridie Id. Septemb. 1558.*

*Collegia sociorum in Europa  
excitata.*

CAP. III.

**H**ic tum erat societatis apud Indos status, vt sanguine pertinenta humus vberiores iam fructus extulerit: par etiam in Europa incrementum frequenti eorum concursu qui sociorum in album adscribi cupide vellent, vt & domus ampliandæ, & nouæ quarendæ fuerint: sed hic principum in Hispania virorum & ditiorum liberalitas minimè defuit. Initia Collegiorum, sed paucis colligam. Methymnæ Campi, Oppidum id nūdinis olim, & mercaturis frequens, primum post Lusitanos, sociorum in Hispania Collegium ludū literarium aperuit anno 1551. quod Petrus Seuilanus è societate sacerdos primus rexit Sexto post anno, constitutum, reditibusq; auctum Petri Quadrati, & Franciscæ Manconæ coniugum beneficentia.

1551.



neficentia. Ille Antuerpiæ Aduaticorum dū negotiaretur, emporio longe celeberrimo, Ignatium Loyolam Lutetia Parisiorum studijs operā dantē eleemosynis benigne iuuerat. Cuius quidem pietatis hunc se fructum tulisse dicere solebat, vt bonis suis vti, fruiq; socij vellent, atque ali suo are non detrectarent: testatus etiam testamenti tabulis, Deo se Opt. Max. à se parta libenter transcribere. Murgitanum (Carthagini Spartaniæ vicinum id oppidum est) eo ipso tempore inchoatum, sumptibus Stephani Almeida Carthaginensis Episcopi, ante diem 10. Kal. Septemb. Percommodè verò cecidit, beneq; incolis euenit, socios magno reipu. fructu ibi tum receptos. Altero enim post anno, corrupti aeris lues vagata, urbē pœne exhaustit: hic socij quasi in vacua venissent, (fugientibus ad vnum omnibus metu pestilentia, qui animorū salutem, & sacra procurabant, parochis) vicatim, vi veneni correptis ægrotis aures dare, & Eucharistiā porrigere. Idem extra pomœria in tugurijs



rijs iacentes ob sacerdotum inopiam  
alloquijs subleuare. Qua in re fidem,  
diligentiamque nostrorum in agris  
curandis, nemo desiderauit. Exincti  
Collegij Præfectus M. Hotaua, Gas-  
par Lopez, & Marcellus sacerdotes:  
frater item Petrus Cabrera, Vice-  
comitis Cabræ filius. Complures  
præterea peste infecti tandem Dei  
benignitate incolumes euaserunt:  
qui & bonum cæteris existimationis  
odorem afflarunt, & ciuitatis bene-  
erga nos animatæ studium auxerunt.  
Non dissimilis Placentini Collegij  
origo fuit à Guterio Caruaialio Epi-  
scopo anno 1554. Instituti, & ter-  
tio post anno absoluti. Ocaniense i-  
tem Ludouicus Calataiut, Protono-  
tarius, vt vocant, Apostolicus, con-  
struendum aere suo curauit, hortante  
maxime, qui nondum societati se ad-  
dixerat, Ioanne Ramires Doctore  
Theologo. Haberi cœptum id Col-  
legium à socijs anno 1558. quibus præ-  
erat Didacus Carrillus. Montillani  
Collegij par condicio fuit: quod no-  
bilissima matrona Catharina Fernã-  
des

1554.

1558.



1555.

dez Corduba, Marchio Priegi, à fundamētis extruendū sua pecunia curauit: Francisci Borgiæ primum vsa consilijs, anno Christi 1555. in eā sententiam venerat: quæ tertio post anno bona LAYNIS venia quod optauerat executā est. Alphonsus Lopez primus eam familiam in socijs tenuit, vir doctus iuxta ac pius. Vitia quæ hic inueterauerant, socijs satagētibus sublata: iuuentus eius ditionis optimis, simul & literis & moribus excultra, quod adeo gratum Dominæ officium exstitit, vt ad eius in nos studiū cumulus nouæ benignitatis accesserit, quod postea non vnus Collegij, sed omniū fere patrociniū suscepisse visa sit. Hispalensi quoq; Collegio ædes eo tempore nobilis viri magno precio redemptæ, cū area, quā nostri mox habitauerunt: quæ olim domus Ducis Medinæ celi fuit: quo loco hodieq; Professorū domus est, templumq; augustū exadificatum visitur. Abulense item per hæc tempora, & natū, & auctum, adscito in sociorum numerum Ludouico Medina, nobili Abulensi,

E 2 prud.



prudentia singulari prædito : cuius  
 bonis, & ditiorum aliquot eius oppi-  
 di benignitate auctum Collegium:  
 incolis etiam grati animi voluntas  
 creuit. Et hæc quidem Collegia i g-  
 natio adhuc superstite inchoata, LA-  
 Y N I S post opera incrementum sum-  
 serunt : nunc quæ tum primum ædifi-  
 cari cœpta Collegia recensebo. In  
 1558. his Toletanum anno fere 1558. ini-  
 tium habuit, quod in Professorum  
 fociorum domum post vertit : cuius  
 loci situm ægre tueri focij, vicinis  
 pugnantibus, potuerunt. Aedes enim  
 Comitis Orgarij erant, natalibus  
 claræ, vt per manus traditum credi-  
 tur S. Ildefonsi Archiepiscopi, &  
 patroni tutelaris Toletanorum : qui  
 Deiparæ Virginis integritatem scri-  
 pto defendit. Vtriusque precibus fa-  
 ctum existimant, vt loco deiecti fo-  
 cij non sint, litibusque extricati ma-  
 gnos incolis fructus adferant ani-  
 morum. Belmontanum inchoauit  
 eo ipso anno, pro singulari in socie-  
 tatem studio, eius oppidi dominus  
 Didacus Lopez Paciecus, Marchio  
 Villeuz



Villeuæ : Deinde auxerunt hæredes. Ad hoc Gymnasium , tanquam ad mercatum , pietatis simul & litterarum , finitimorum iuuentus frequens confluit , imo & è Bætica. Rexit & hanc domum idem Petrus Seuillanus. Verum perturbatis post rebus , & ædibus ad tectum non perductis , Frãcisca Legionensis , Virgo nobilis , & pia , tandem hæreditate sua Collegium publico commodo constituit. Segobienfis tale ferè , in sequenti anno principium fuit , cum in conductis precio ædibus socij versarentur , sacerdos pius Ludouicus Mendozius Segobienfis , qui Romæ complures annos commoratus Ignatio vsus esset familiariter , captus sociorum studio re bene lauta in partem iuuit , aluitq; socios. Primum ibi socijs præfuit Ludouicus Satander. Hic concionibus , pijsq; instituti officijs ciuium animos sibi adiunxit , auxitq; numerum , vt aream breui , cui inædificatũ hodie Collegium visitur precio coemerit. Eo ipso tempore & Palentinum Collegium coepit euq; catis socijs,

E ; cijs,



cijs, beneficentia matronarum nobiliū Teresiæ, Quinones, Comitissæ Mōtisacui, & Leonoræ Vegæ Ioannis Vegæ sororis ( qui consilij Castellæ regni præses fuit : ) filij item ipsius Sueri. Socijs primis hic præfuit, vt in Annalibus comperi, Petrus Saabedra,

*Collegia item in Italia & Germania constituta.*

CAP. IV.

**N**Equæ cæteræ hoc bono Prouinciæ perpetuo caruerunt. Foroliuuij enim, quod Italiæ, Cæsenam inter & Fauentiam oppidum est, sociorum sedibus ædem edificare animum induxit Petrus Aliotus Episcopus ad annum Christi 1558. Additum id Etruscæ tum prouinciæ Collegium: post loci vicinitatisq; commodo, Insubrum, vulgo Lombardiæ prouinciæ adnumerari cœptum.

In Germania Augustæ Vindellicorum societati, quam vnice complexus est, Otho Truchses Cardinalis, &



lis, & Episcopus illustri loco natus, Collegium construendum curauit anno 1559. Vti tamquam murum hæreticorum furori, qui iam rerum publicarum pernicie gliscere cœperat, obijceret: nutantesque in auita religione confirmaret; lapsos ad sanam mentem traduceret. Accitus eo nomine Petrus Canisius, Neomagensis, societatis Theologus. Is assidue concionando, hortando, docendo, vsque eo rem Christianam promouit, vt hæresi valere iussa, complures, qui pestiferarum opinionum æstu abrepti præcipitarant, reuocarit. Varijs post tempestatibus, tamquam nauis, in amplissima illa Rep. iactati socij, dum nihil intentatum hæretici relinquunt, in omnesque sese vt solent, formas vertunt, quo nostros gradu deiciant, atque deturbent: fixam sedem Dei beneficio tenuerunt. Qua in re & Fuggerorum illustris familiæ fides, diligentia, ac liberalitas enituit. Monachij etiam, quæ summorum Ducum Bavarie sedes est, Albertus eo ipso anno

1559.

1559.



Collegium alterum excitare à fundamentis constituit, qui iam Ingolstadiensem Academiam socijs attribuerat, quo sese hæreticorum circūcirca audaciæ, atque calumnijs opponerent. Singulare enim eius familiæ studium in societate semper existit; quod & Gulielmus Dux non solum retinuit, sed etiam incredibiliter auxit: præcipua sane in Religionem maiorum propensione, ac zelo ductus: quo & armis, ferroq; lupos, ne in gregem piorum grassentur impune, à finibus arcet. Perspecta itaque pridem Alberto sociorum fide, ac vigilantia, & labore alteras sua manu ad LAYNEM litteras dedit, a. d. V. Kal. Quintilis, (quæ in commentarijs sunt, & in manibus habentur.) & humanitatis refertæ, & honorificæ in socios benevolentia notis aspersæ. Rogat socios plures, tamquam fessis recentes submittat, qui aciem priorum instaurent; hostes verbi Dei gladio ancipiti acriter oppugnent, quæ concionando, quæ confitentibus aures dando, quæ denique hæreticorum

cela

rela  
& n  
nar  
plin  
etia  
tuti  
sper  
ben  
Rel  
nes  
tur  
uoca

D  
insu  
fama  
dam  
Alex  
clar  
gius  
tis, r  
riens  
que e



rela retorquendo, ac refellendo. Quin  
 & iuuentutem, Reip. neruos, & semi-  
 naria, non litteris duntaxat & disci-  
 plinis, sed quod rei caput est, optimis  
 etiam imbuant & moribus, & insti-  
 tutis. Addito ad hæc elogio, in eam se  
 spem venisse, fore, vt aliquando, Deo  
 bene iuuante, sociorum opera, fides,  
 Religioque maiorum apud suos, om-  
 nesque adeo Germanos locum tuere-  
 tur suum, & in pristinum decus re-  
 uocaretur.

*In Sardiniam socij penetrant.*

CAP. V.

**D**VM hæc in continente gerun-  
 tur, in Sardinia quoque regno  
 insula maris nostri, societatis nomen  
 famaque increbuit: quod diuina qua-  
 dam prouidentia factum arbitror.  
 Alexius enim Fontanus Sardu, domi-  
 clarus, & locuples, Quæstor item re-  
 gius, patrij soli vicem, vitijs abundan-  
 tis, miseratus, affecta iam ætate mo-  
 riens testamento legarat bona, quæ-  
 que ex illis pecuniæ redigi possent,

E 5 Saxari,



Saxari, ( oppidum id à Saxorum frequentia nuncupatum ferunt ) alendis societatis alumnis : quibus socijs vsus pridem erat in Belgio per familiariter , inque pietatis studio processus fecerat. Re ad L A Y N E M Romam dilata , Francisco Borgia, cui tum Hispanica sociorum provincia commissa esset, per literas negotium dat , binos è socijs in Sardiniam quamprimum allegaret, exploratum, a line illic socij commode possent: tum ecquæ salutis animorum spes affulgeret. Hic Franciscus nihil cunctandum ratus, cum plurimorum salus insularum ageretur, ex templo Balthasarum Pinam, & Franciscum Antonium misit. Accepti sacerdotes per humaniter, omnique officiorum genere à Prorege, Episcopis , & Præfectis : quibus etiam litteris socios Ioanna princeps, Philippi Catholici regis soror commendarat , cuius tum absentis nomine Hispaniam administrabat. Templum illis attributum, & ædes, quas



matrona nobilis sacris velatisque virginibus destinatas, ære suo exardificarat, sed à mercatoribus profanos in vsus precio conductæ squalebant. Tertius his comes laborum Petrus Spica, societatis & ille presbyter, commodum accesserat; è Belgio delatus, vt patrij cœli solique benignitate, medicis auctoribus, à diuturno lentoque morbo conualesceret, viresque reciperet. Hi strenue concionari in templis, foris, custodia, & Xenodochijs, Pueros etiam fidei rudimenta percompita docere. De officijs, nodisque religionis sacerdotes publice erudire, vt reatus, noxasque dijudicare, & lepram à lepra discernere assuescerent. Tantus mox finitimorum fama excitorum concursus exstitit, vt rerum suarum arbitrium omne Patribus, quos sanctos illi appellabant, salua vt religio conscientia esset libenter permitterent. Cognito, quod res erat magni insularum interesse, complures eo socios  
tanquam



1559.

1564.

tanquam in coloniam mitti, alios  
 Roma submisit LAYNES: Collegiū  
 Saxari construi permisit ad annum  
 Christi 1559. Quinto post anno Calari  
 etiam condi cœptum, vbi regia est, &  
 Proregis, aulicorumq; domicilium.  
 Quatuor hodie Collegia, vnum etiā  
 tirocinij domum incolæ numerant,  
 quorum non pauci societati sese ag-  
 gregarunt, vt prouincia pœne facta  
 sit. Magnus quidem hic à socijs labor  
 in excolenda siluescente vinea susce-  
 ptus, sed qui vberes mox fructus ad-  
 ferens, precium operæ tulit. Incredi-  
 bile enim dictu, quot quantaq; vitia  
 funditus sublata, lumine disciplina-  
 rum, quæ, vt solet, inscientia pepere-  
 rat: dum ab ignaris officiorū, quam-  
 uis graue flagitium religioni minime  
 ducitur. Pulsa itaq; primum, apertis  
 litterarum ludis, barbaries vitiorum  
 seminarium. Insulani cum libris, qui  
 seculis aliquot muti tacuerant, in  
 gratiam redeunt. Noua lux affulgere,  
 & veluti sol exoriri, depulsa à mētis  
 oculis densa caligine, videbatur. Sa-  
 cerdotum ordo restitutus, vt conti-  
 nenter



nenter casteque more maiorum, vi-  
uerent; studio sacrarum litterarum,  
officiorumque; dediti; ceteris pietatis  
facem praeferrent. Philosophi mox,  
& Theologi è ludis nostris prodie-  
runt; ex alijs etiam Academijs, me-  
dicinae, & iurisperiti cōplures. Sub-  
lata vsura, cōcubitus illiciti, exactæ  
domo pellices, cædes, periuria inter-  
dicta, quod beneficium & grato ani-  
mo Sardi non inuiti agnoscunt.

*Ludouicum Consaluum in Lusitaniam  
mittit LAYNES.*

## CAP. VI.

**O**ptimam esse gubernandi for-  
mam, cum penes vnū res sum-  
ma esset, & ad vnus, cuius ratio con-  
staret, arbitrium omnia referrentur,  
optimatum tamen consilio tempe-  
randam sapientissimi homines iudi-  
carunt. Idem in Ecclesiastica hierar-  
chia verū esse sanctus, & prudens  
vir iudicarat Ignatius: qui in consti-  
tutionum librum retulit, optimum  
factum videri Præposito societatis

E 7 gene-



generali assistere perpetuo singula-  
 res, ex omnibus Prouincijs à socijs,  
 non ab ipso, delectos Quatuoruiros;  
 qui tanquam inspectores in commu-  
 ne consulerent, quiq̃ue in laborum  
 partem vocati, leuius imperādi onus  
 efficerent. Solutus hac lege vixit Ig-  
 natius: siue quod non nisi à morte  
 Constitutiones promulgatæ, ac Pro-  
 uinciarum suffragijs comprobatæ; si-  
 ue quod indignum Patribus vitium,  
 his finibus eius auctoritatem circum-  
 scribi, vt alijs rerum gestarum ratio-  
 nem redderet, qui societatis auctor,  
 & princeps, omni bono de ea meri-  
 tus, familiam duceret. **LA YNI** verò,  
 qui primus eas Ignatij leges magno  
 sociorum commodo Præpositus pro-  
 mulgarat, assistere iussu sunt socio-  
 rum decretis Quatuoruiru: Hierony-  
 mus Natalis, Ioānes Polancus, Chri-  
 stophorus Matridius, & Ludouicus  
 Consaluus de Camera. Hic cuius gra-  
 tia in hūc sermonem ingressi sumus,  
 domo Lusitanus, & nobilis, Ioanni  
 principi Lusitaniæ Ioannis Regis III.  
 filio, & Sebastiani parenti à sacris  
 olim



olim cōfessionibus fuit: Regi in primis carus ob singulares animi dotes, acceptusque. Mortem interea loci Ioannes princeps, & post longo satis interuallo, Rex obiit. Is testamenti tabulis Catharinæ coniugis fidei, Sebastianum nepotem commisit, & adulto regnum hereditario iure reddere iubet; parens enim Sebastiani (quod contra oportuit) morte obita patrem Ioannem anteuerterat. Educationem in primis Rege dignam eidem commendat: Ludouicum Consaluum, cuius antiquam fidem exploratam haberet, præceptorem morum, & disciplinarum nepoti, iubet adscisci. Resignatis iam testamenti tabulis, nihil Catharina duxit antiquius; quam ut Regis voluntatem vltimam exequeretur. Ad LAYNEM Romam litteras dedit: Regis vita functi vltimam voluntatem exponit. Obsecrare itaque Ludouicum Consaluum in Lusitaniam quamprimum mitteret. LAYNES rem in sua potestate sitā negat. Prouincialium enim sibi iussu, atque  
con-



consensu assistere quatuor viros soci-  
 etatis, in his & Ludouicum. Eorum  
 itaque arbitrio, non suo Roma disce-  
 dere posse. Ad hæc ardentius Regina:  
 vltimam coniugis volūtatem, ratam  
 esse oportere, religioseq; seruādam.  
 Excusationes itaque quas non accipe-  
 ret missas faceret. Se familiam Seba-  
 stiano nepoti cōstituere nolle, donec  
 Ludouicus, quod quam maturrime  
 fieri cuperet, præsto Olyssipone ad-  
 esset. Hic LAYNES iterum animi  
 pendēs æstuabat, quoque se verteret  
 ambigebat: illinc Ignatij decretis  
 parendum & instituto; hinc Regum  
 Lusitaniæ tot tantaq; extare in soci-  
 etatem merita, vt iure optimo paren-  
 tum loco duci debeant. Ad hæc in-  
 grati animi vitium effugiendū socijs  
 in dies inculcabat. Accessit ad illud  
 honorificum quidem societatis mu-  
 nus videri, liberorum illi regionum  
 educationem ex testamento cōmen-  
 dari; at laboris idem plenum fore,  
 atque inuidiæ, animo longe ante pro-  
 uidebat: quod, vt nunc tempora sunt,  
 principum vitia, expeditiones, euen-  
 ta, &



ta, & exitus, præceptoribus plerumque, vt Senecæ doctori Neronis scelera, ab aulicis temere tribuantur. Eadem & Ludouico profectiōem si salua religione posset, detrectanti, in mentem venerant: Prouinciā arduam illā quidem, sed periculosē plenum opus alex, atque calumniæ videri. LAYNES nihil tādē amplius tergiuersandum ratus, nec inani spe lactare Reginam oportere, litteris respondit, Consaluum ea lege iturum Olyssiponem, vt si prouincialibus socijs, quorum id iudicium esset, probaretur, operam in Sebastiano informando daturus hæreret; sin abiudicarent, obsequendi saltem studium iam perspectum, æqui, boni faceret. Igitur Ludouicus post kalen. Quinct. anni 1559. Roma in viam sese in Lusitaniam dedit. Olyssiponem simul saluus attigit, purgare se omni ope apud Reginam, & deprecari prouinciam, sed frustra, nitebatur; victus tandem cessit imperijs, munusque strenuè obiuit: optimum Principem optimis pietatis, & litterarum præceptis,

1559.



ceptis ad omnem honestatē imbuit. Dei verò cultum, & religionis amorem in seuit. Sed ostensus hic tantum terris Princeps. Iuuenis enim in Africana expeditione, dum Seriphē, Fezzi regē, qui alijs Mahamethus dictus, in regno retinere armis nititur, fortiter pugnās in prælio cecidit: magno sui gēti Lusitanicæ relicto desiderio. Hæc ideo retuli, vt socios honoris, & id genus munera semper defugisse, non affectasse posteritas norit.

*Paulo IV. extincto LAYNEM Pontificem creare Cardin. volunt.*

## CAP. VII.

**P**rofecto in Lusitaniam Confaluo eo ipso anno a. d. x v. kal. Septembr. Paulus IV. vita simul & Pontificatu decessit. LAYNES Romæ Præpositus generalis docendi munere clarus, & concionibus in ore omnibus erat, & frequens ad illum in Curia hominum concursus fiebat. Cardinalibus conclauit, vt solet, in-

clusis



elufis, cum variè effent & discrepan-  
tes in Pontifice deligendo ſententiæ:  
dumque in vnum conſpirare volunt,  
comitiorum tempus extractum. Igi-  
tur vrgente Othone Truchſio Car-  
dinali Auguſtano ceteriſque gregali-  
bus, ad comitia L A Y N E S tan-  
quam arbiter, qui diuturnam litem  
ſedens dirimeret, accitus, vadimo-  
nium ſiſtendum, nihil tale ſuſpica-  
tus, exiſtimauit. Conuentum vix in-  
greſſo, ecce tibi purpurati aliquot  
Patres, ſumma auctoritate præditi,  
qui prudētiam hominis, pietatem-  
que cum ſingulari doctrina coniun-  
ctam pridem perſpectam haberent,  
grege factò, capita conferunt, &  
de Pontifice creando L A Y N E, nec  
opinante ( licet Cardinalium colle-  
gio non eſſet adſcriptus) raro, & in-  
uſitato exemplo, deliberant. Subo-  
luit ſtatim quod res erat L A Y N I,  
quicquid molirentur Patres. Miſſio-  
nem itaque ardentè flagitat, vrgere  
ſocietatis negotia, quæ prolata-  
ri diutius noller. Extemplo ita-  
que, quaſi periculum malumque  
impen-



impenderet effugit, tanto profecto studio, quāto ambitiosi mortales honores ambire consueuerunt. Fuga dilapso illo, in eadem nihilominus sententia perdurat senatus, nunciatumque absenti est, Cardinales duodecim principes, qui Ecclesiæ Catholice mores ad pristinā illam seueramque disciplinam reuocari exoptarēt, magna consensione de eo Pontifice creando suffragia tulisse. Idem cum post illa Franciscus Varegas, iureconsultus egregius, qui tū Philippi I. Regis Catholici legatione fungebatur, LAYNI renunciaret, ea verborum grauitate elusit, vt vel sermone iplo honorum contemptum, animique demissionem, testaretur. Nominare possum qui id præsentis audierint: quin & Cardinalis ipse Augustanus dum LAYNE post vita functo iusta pro veteri necessitudine Augustæ Vindelicorum more maiorum persoluit funebri laudatione idem sanctè confirmauit, ad summum sacerdotium duodecim Cardinales suffragia, se auctore tulisse: sed fuga dilapsam, se

sele  
ful  
Car  
giff  
tati  
æte  
Ille  
file  
qua

P  
Chr  
tim  
na  
exe  
soci  
nam  
Cat  
lan  
tyra  
ani  
pot

sele



sele velut tempestati, & naufragio subduxisse. At quid mirum? nam & Cardinalitium galerum antea defugisse retulimus: qui nimirum dignitatis gradus, vt minor est, ita salutis æternæ minore periculo geri potest. Ille verò, qua erat modestia, partim silentio rem perpetuo pressit, partim quasi ludus fuisset, eleuare solebat.

*Missiones & Collegia instituta, in his & Romanum.*

CAP. VIII.

**P**Auli Quarti Pontificatum, Pius item Quartus excepit, anno post Christum natum, 1560. qui & ipse optime erga societatem animatus, bona ductus existimatione, missiones ex eo corpore instituere cœpit. Bini socij in Hiberniam, Britannix vicinam iussi proficiscuntur: qui pios & Catholicæ religionis amantes insulanos à Britaniæ Reginx armis atque tyrannide oppressos confirmarent: animosque explorarent, quosnam potissimum creari Episcopos è republica

1560



blica esset: denique de omni statu Pontificem certiozem facerent. Bini item in Cypri insulam missi Nicosiam metropolim ingrediuntur, Archiepiscopi precibus vocati: quod Collegium socijs, suorum commodo ædificare vellet. Lustravit vna cum Archiepiscopo diocesim sacerdos. noster Emmanuel Gomefius, Montis maioris cognomento. Hic assidue concionari Italice, aurefque ritè confitentibus dare, ceteraque societatis officia diligenter exequi; frustra tamen, nullo aut perexiguo laboris fructu, præfractis iam insulanorum animis. Quo factum vt decimo post anno, iusta Dei vindicta à Turcarum tyranno expugnati in hostium potestatem venerint. Ad Epidaurios totidem missi, Italus vnus, & aliter item Hispanus. Quæ ciuitas emporio clara, & nauigandi arte hodie nobilis, Ragusa vulgò appellatur. Doctrinæ verò celestis indigere videbatur, quod Turcis finitima vectigal pendat. Socios libenter incolæ acceperunt, & humaniter,

1570.



niter, vt sunt morum facilitate singulari. Igitur in tanto animorum lucro non frustra suscepta profectio est. De missionibus adhuc egimus: nunc Collegia recensenda.

1560.

Nouocomense, in Cispalinæ Italorum Gallia oppido situm, hoc ipso anno 60. inchoatum, sumptus suppeditantibus Odoascalcis principibus in ea vrbe viris. In Etrusca prouincia, quæ hodie Romana, iacta Collegij Maceratenfis fundamenta, ex ærario reipublic. incolis exemplo Patrum excitatis, qui Lauretano proximo Collegio digressi, ad vineam illam colendam accesserant, agrumq; omnem Picenû omnibus officiorum societatis generibus fama; complebant. Eandem & in Germania mentem per id tempus DEVS Treuerensi dedit Archiepiscopo, vni è septemuiris Cæsaris creandi Electoribus. Socios enim Roma euocandos curauit, qui impios hæreticorum conatus res Christianorum publicas euertendi, ociumque & pacem turbandi studium, pietate ac litteris infringent.



rent. Igitur Academiam, veterem quidem illam, sed temporum vicio infrequentem, & ad paucos redactam, societati attribuit vniuersam: ut sopitam pridem, ac pæne depositam literarum pietatisque disciplinam reuocarent; rudes ad hæc docerent fidei Christianæ summam, & populos frequenti sacramentorum Poenitentia, & Eucharistiæ vsu, ad pristinam fidei decus excitarent. Non fefellit Præsulem spes: vberes enim, & opinione maiores animorum fructus, iam tum socij colligere cœperunt, & in dies referunt. Eo ipso anno in Lusitania cœpit Collegium Portuense: à quo portu Portugaliæ nunc nominari Lusitaniæ nomine mutato, memoriae proditum. Bracarense item Barptolemæus, martyrum cognomento, è familia D. Dominici sanctitatis opinione clarus atque doctrinæ, suorum ære extruxit. Brigantinum quoque à Theodosio Brigantiæ Duce ædificari, partim suorum commodo, partim societatis studio, cœptum. In Orientis Indiam hoc anno profecti socij duo



cij duo Andreas Consaluus Methymnensis, & Alphonsus Lopez Nauarus. In itinere illud ad æternitatem memorabile pietatis exemplum editum. Nauis qua vecti socij, sexcentis quinquaginta pass. millib<sup>o</sup> à Goa, in vada & breuia impingens, fracta diffilijt. Vectores pœne trecenti exscensione facta in arenam desiliunt. Pauci scaphis salutem quæsierunt, vocatis etiam socijs, & loco dato, vt si salui esse vellent vna Goam peteret. At reliquorum clamor & fletus est subsecutus, deserere se queritantium. Indignum itaque socijs visum, caritatis leges violare, & naufragos prope diem morituros deserere: quare vitam mortalem tot tantorumque animorum saluti post habendam censuerunt. Morientibus reliquis, opem quoad eius fieri potuit, consolatione Christiana, & pane nautico parce distributo, tulerunt. Postremò & ipsi extincti inedia perierunt. Relatum id à fide dignis, qui tabulis nauis colligatis Goam tandem salui dilati sunt.

F

Romano



Romano etiam Collegio, vnde reliqua omnia propagata esse constat, quod ceterarum Europæ nationum seminarium est, area, & solū datum, liberalitate matronæ nobilis victoria Tolfix, Camilli olim Vrsini Marchionis Guardia coniugis. Hæc patruī Pauli IV. Pontif. max. consilio & ope, ædium plurimarū insulam aere coemptam, virginū Deo sacratarum coenobio destinarat. Mutata post voluntate, maius Ecclesiæ commodum spectans, nec opinantibus socijs, Collegio extruendo, sponte donauit suadente, & consilio iuuante Pio IV. quæ suæ erga societatem voluntatis, primis pontificatus annis hanc dare cepit testificationē; vt domiciliū nobis Romæ æterna in vrbe terrarumque regina assignaretur. Nec illo beneuolentiæ genere contentus, ad Catholicum quoque Hispaniarū Regem Philippum, datis disertè literis, quæ in manibus sunt, Collegium socijsq; de meliori nota commendauit. Officia conatusq; nostrorū, quæ pontificia sedes pridem comprobasset, eidem lau-



dat, & utilitates p̄dicat. Rogare itaq; comiter illos in regno cōplectatur, quaq; pietate ceteras piorum hominū familias soleret Rex verè Catholicus, eadem societatem foueret. Id è re sua fore, orbisq; adeo christiani permagni interesse. Morem gessit Rex pius, & qua re cumq; potuit, iuuit per benigne.

*Gonsalui Silueira apud Indos martyrium. CAP. IX.*

**I**Neunte anno 1560. Gonsaluus Silueira Lusitanus, Comitis Sorrelle filius. Goa soluens, ad regna penetrauit Inambaium, & Manomotapam, non procul à Bonæspei promontorio, Sofalam inter, & Mozambicum sita, vt Euāgelij lucem barbaris Gentibus inferret. Trucidatus tandem crudeliter iussu Regis Manomotapæ, quem fide Christiana imbutum, sacro Baptismatis lauacro, tinxerat. Rem ex Indiarum litteris societatis sic gestam accepimus. Vt primum Inambaium Aethiopiæ urbem attigit Gonsaluus, vsq; eo ex oculis laborare

1560.

*lib. 2. epist.**4. Maffcio**interp. &**li. 16. hist.**Indic. vbi**nominatur*

F 2 cœpiti



cœpit, vt propius factum sit nihil,  
 quam fato ibi concederet. Recrea-  
 tus tamen à morbo ad urbem regiam  
 Tongen iter intendit. Ibi Regem vna  
 cum vxore, sorore, liberis, cognatis,  
 regniq; proceribus, populo denique,  
 intra paucos dies magna omniũ gra-  
 tulatione, atque lætitia, sacro fonte  
 lustrauit. Rex Constantini, Regina  
 Catharinæ, soror Elisabethæ nomen  
 adsumpsit. Post ad Senam nauibus de-  
 latus, vicũ sane frequẽtem, inde Ma-  
 nomotapam urbem regiã adijt. Rex  
 confestim cum muneribus, qui inui-  
 ferent, misit, auri p̄dere ingenti, bo-  
 busq; permultis, vt Gentis mos est, &  
 famulatu ad ministeria quotidiana:  
 quippe de Lasitanis, q̄ ibi negotiaban-  
 tur, iam ante cognouerat, Gõsaluum  
 non modo vitæ sanctitate, sed etiam  
 generis claritate, ac nominis impri-  
 mis esse conspicuum. Gõsaluus gra-  
 tijs actis muneribusq; repudiatis, per  
 interpretem Antonium Chaiadũ Lu-  
 sitanum, Regem cogniturum respon-  
 dit, quod genus auri, quas uẽ diuitiarum  
 quæsitũ venisset. Obstupuit ea animi  
 magni

ma  
 se  
 one  
 nen  
 pen  
 troc  
 sibi  
 obt  
 bou  
 min  
 aufe  
 Reg  
 sus a  
 cesse  
 qua  
 go in  
 bus.  
 Virg  
 Regi  
 mag  
 figier  
 poter  
 rator  
 nem  
 locar  
 dam



magnitudine Rex, venientemque ad se, tanta gratulatione, & significati-  
 one honoris excipit, quanta nemi-  
 nem unquam antea. Nam & in ipsa  
 penetralia, quo nulli est aditus, in-  
 troduxit; & assidente matre assidere  
 sibi iussit. Eidemque iterum munera  
 obtulit, quantum auri, prædiorum,  
 boum denique; vellet, quos incolæ non  
 minoris, quam aurum ipsum æstimat,  
 auferret. Cùm nihil se præter ipsum  
 Regem respondisset optare, conuer-  
 sus ad interpretem Rex: *Profectò ne-  
 cesse est, inquit, qui nihil horum accipiat,  
 quæ à ceteris tantopere adamantur, lon-  
 go interuallo à reliquis distare mortali-  
 bus.* Tum Gonsalvus tabulam Mariæ  
 Virginis depictam, quæ veste latebat  
 Regi donat. Cuius desiderium quo  
 magis exacuat, præfatur illam esse ef-  
 figiem matris Dei, cuius in ditione, ac  
 potestate sint omnes Reges, & Impe-  
 ratores orbis terrarum. Rex imagi-  
 nem veneratus, in regio cubiculo col-  
 locat, ibidemque quasi facellum quod-  
 dam precandi causa peristromatis



pretiosis exornat. Narrant qui inde  
venere Lusitani, noctibus deinceps  
circiter quinque, reginam coeli, ea ipsa  
specie, quam tabula ostenderet, diui-  
nam circūfusam luce, suaviq; splen-  
dore fulgentem, augustissimo simul,  
ac iucundissimo aspectu, dormitanti  
Regi astitisse. Gonsaluum itaque ar-  
cessit, ait se mirum in modum angī,  
quod sermonem reginæ eius, quæ se-  
cum singulis noctibus loqueretur, non  
intelligeret. Cui Gonsalvus eam esse  
linguam diuinam dixit, quam nemo  
nosset, nisi qui sacrosanctis eius regi-  
næ filij legibus pareret, quippe qui  
Deus esset, generisq; totius humani  
redemptor. Bidui deinde spatio in-  
teriecto Rex per Antonium Caiadum  
Gonsaluo apertè renunciat, certū esse  
sibi, matriq; Christiana sacra suscipe-  
re, proinde ad se baptizandum quam-  
primū veniret. Gonsaluo tamen dies  
aliquot supersedere satius visum, dū  
Rex Christianæ fidei præceptis ac ru-  
dimentis imbuitur: quibus cum satis  
iam operam dedisse videretur, quin-  
to circiter, & vigesimo post aduen-  
tura



tum die, Gonsaluus Regem simul & matrem non sine solempni pompa & gratulatione baptizat. Regi Sebastiani; Matri, Mariæ nomen est inditum. Eo ipso die Rex Gonsaluo, quoniam aurū respueret, boues centū donauit. Ille ad Caiadū misit, vt in frustra dissecti distribuerētur in pauperes. Regem imitati trecēti ferme è regni pceribus Christo pariter sese addixere. Gonsaluus hic nullū genus carnis omnino gustauit, cocto dūtaxat milio quodā exiguo, herbisq; & syluestribus victitans pomis. Iamque spectata vitæ, morumq; sanctimonia, studioq; salutis humanæ, tantū sibi summorū, infimorumq; beneuolentiā conciliauerat, tantosq; in omniū animis effecerat motus, vt in Christianā religionem vniuersa multitudo videretur incūbere: cū à Mahometanis quatuor proceribus, & callidis viris, & apud Regē gratiosis, Gonsaluo paratur infidiæ. Ij Regi partim coram ipsi, partim per idoneū internuncium valde sibi dolere demonstrāt, quod tantum in capitis, regniq; discrimen vltro se ipse



se ipse demiserit. Gonsaluum, cui tantū fidei, & honoris habeat, missū Proregis Indiæ, terræque Sofalæ regulorum ad explorandum Regis statum, sollicitandumque ad defectiōnem popularium animos aduenisse; vt motibus excitatis ipsi deinde infesto exercitu subsequuti Regem opprimerent. Addunt insuper fabulosa portenta; Gonsaluum magum esse terribissimum omnium & sagacissimum; varia veneficia ac medicamēta secum attulisse ad incolarum animos occupandos, Regemque mactandum. Quicumque caput suū aqua perfundi paterentur conceptis præsertim verbis confestim volentes, nolentes in eius potestatem venire. Id ipsum alibi contigisse: proinde videret etiam atque etiam Rex, quo progrediretur, cui se suaque crederet. Si Gonsaluum abire permittat incolumem, fore vt ciues mutuis inter se cædibus amentes atque lymphati miserandū in modū grassentur atque concurrant. Hisce alijsque mendacijs onerato Regi, adolescenti præsertim, ac matri, facile persuasum est, vt



est, vt Gonsaluum primo quoq; tem-  
 pore interficiendum curarent. Nec-  
 dum ea cōsilia eruperant, clādestinis  
 agitata colloquijs, cum ad Antonium  
 Caiadum Gonsaluus: *Haud ignaro,*  
 inquit, *mibi, nec imperato mors instat*  
*ab Rege.* Caiado autē ita incredibilis  
 visa res; vt subridēs prorsus negaret.  
 Iamq; dies aduenerat necis, vel vitæ  
 potius: qui dies natalis erat D. Susan-  
 næ virginis martyrisq;ue, a. d. 3. Eidus  
 Sextilis anni 1561. Gonsaluus ab Anto-  
 nio magnopere petit, vt Lusitanos  
 duos, tresūe continuo ad se accersat:  
*Confessionem, inquit, illorum, tuamque fi-*  
*mul excipere, sacraque Eucharistia hodierno*  
*die reficere vos omnino constitui: nec enim*  
*postea potero.* Facta re diuina, factis-  
 que eodem die Christianis circiter  
 quinquaginta, vestem ad corporis  
 cultum, rosaria ad precandum diui-  
 sit. Mira vultus hilaritate, animi-  
 que trāquillitate animabat Lusitanos  
 inscios quid ille conditū haberet in  
 animo. Ijsdem sacrorum apparatus  
 dat in ædes Antonij deferēdum. Ipse  
 linteatus cum effigie Christi ad cru-

1561.

F s cem



cem affixi, domi remansit. Post Caia-  
do; *Antoni*, inquit, *paratior profecto ad mor-*  
*tem obeundam ego sum, quam ipsimet inimiti*  
*ad inferendam. Regi autem, & matri libenter*  
*ignosco. Mahometanorum quippe artificijs, ac*  
*dolis inducti sunt. Martyriū scilicet pri-*  
*dem exoptarat, dum Bracaræ versa-*  
*retur, datis ad Godinū societatis sa-*  
*cerdotem litteris, cupere pro Christi*  
*nomine multa acerba perpeti, crucis*  
*etiā mortē oppetere, testatus. Gōsal-*  
*uus cum secus diuersor. ū in area ad*  
*multam noctē, quasi è corporis custo-*  
*dia exire gestiēti mora omnis longa*  
*videretur, ita citatis gressibus ambu-*  
*lasset, oculis semper intētis in coelū,*  
*manib⁹ modo sublatis ad sidera, mo-*  
*do crucis in figurā extensis, ducens ex*  
*intimo corde suspiria, suū deniq; tu-*  
*guriū subijt, fusiſq; precibus coram*  
*Christi signo, quod vnū solatium illi*  
*supererat, in arundineū stratū decum-*  
*bit, & in somnū incidit iustorū. Id ex*  
*insidijs conspicati fatellites octo cir-*  
*citer illico irrumpunt. Acceptū pe-*  
*dibus, & brachijs, humo tollunt qua-*  
*tuor: duo collo iniiciunt finem: quo*  
*utrinque adducto, Gonsaluus expref-*

san



sam ex ore, naribusq; magnā sanguinis copiā effudit, & spiritū simul Domino reddidit. Tum verò Christi simulacro sacri legis manibus cōminuto, defuncti corpus recte ligatū, attractumq; interfectores in præterfluentem Monsengessē deiciūt: ne videlicet quod Mahometani confixerāt, cadauer ipsum tam malefici hominis sub dio relictum veneni sui tabe cūctos inficeret. Hunc habuit exitū pia Gonsalui legatio: quo sublato, Rex eadem sæuitia percitus, Christianos pariter quinquaginta, quos ille extremo die suo pepererat, magistri donis exutos iubet occidi. Id simulatq; cognitū est, regni p̄ceres, quos encofes vocāt, rei atrocitate p̄territi, consensu adeunt Regem, & *Si hominibus, inquit, hisce mors idcirco debetur, quod aquam infundi capitibus suis à Gonsaluo permiserint, eadē & omniū nostrum, & verò tua quoq; caussa, Rex, est: omnibus vno, eodemq; leto occumbendū.* Qua denunciatione repressus Regis furor cū aliquātulū residisset, eū biduo post Lusitani quoq; cōueniunt: docēt, q̄ graui scelere



scelere sese obligauerit: Terrores in-  
super addunt, non Deū modo indignā  
innocentissimi sacerdotis necē debi-  
tis pœnis, sed etiā homines ipsos, no-  
bilissimi viri bello atque armis vltu-  
ros. Ad ea Rex diligēter excusare se-  
se culpam in suos, impulsoresque  
reijcere: magnū perpetrati facinoris  
dolorem ostendere. Deniq; vt factis  
verba consentiāt, è quatuor consilia-  
rijs duos confestim interficit: nam re-  
liqui duo, rem odorati, maturè diffu-  
gerāt; sed Dei nequaquam manus ef-  
fugere potuisse existimandum.

*Missio Alexandrina sociorum.*

CAP. X.

**A**lteram in Aegyptū missionem  
instituit L A Y N E S auspicijs  
1561. Pij IV. anno 1561. re tamē infecta per-  
uicacia gētis. Alexandrin<sup>o</sup> Patriarcha  
cum Cophris, sic enim sacerdotes ap-  
pellant, Romam cum litteris Syrum  
origine, cui Abrahamo nomen, legat.  
Optare se cum sacrorum summo an-  
tistite Paulo IV. tandem in gratiā re-  
dire, quē iā agnosceret Ecclesiæ caput  
esse: rogare itaq; doctores mitteret,  
qui



qui dogmata fidei à quibus gens illa schismate adducta pridem desciuerat enuclearent, ad concordiamq; reuocarent. Ducere Pontifex id negociū, diem è die ducendo, quod fraudulētā nationi, toties fide violata, fidentum minus existimaret. Quartus iam annus abierat cum & mors Paulum oppressit, & Alexandrinū negotium diremit. Pio mox suffecto, ecce tibi nouæ Alexandria litteræ: vrgent, rogant, efflagitant: Pontifex quo erat propagandæ Ecclesiæ studio (plures enim aberrantes oues Pastor in viam reducere cupiebat) censuit doctores eo rudiū, & imperitorū hominum, qui Turcis vectigales essent, mittendos. Igitur LAYNI in mādatis dat, è corpore societatis, quos maxime ad rem idoneos arbitraretur, deligeret; qui & linguarum peritia, & sacrarū litterarum cognitione ceteris præstarent, vt gentibus illis errores eripiant, expiatosque Romanæ Ecclesiæ legitime restituant. Electus ad eam expeditio- nem Christophorus Rodoricus do- mo Hispanus, singulari, & prudētia & doctrina



doctrina, Ioannes Baptista quoq; Ele-  
 cenus, pius in primis, & oræ illius, &  
 Arabicæ linguæ gnarus, vsuq; rerum  
 pollens. His se alter Hispanus vltro  
 comitem sacerdotibus dedit. Itaque  
 postridie Cal. Quinctiles in viam se  
 cum Abrahamo Syro dant, Alexan-  
 driam versus, vt de his quæ per lite-  
 ras Patriarcha Apostolicam sedem  
 rogarat præsentibus agerent: dignum  
 item Patriarchæ pallium sacrû Pon-  
 tificis munere, offerrent, qui & Le-  
 gatum Syrum Roma cum donis ho-  
 norifice dimiserat, quo fide summa  
 suorum ciuium salutem, concor-  
 diamque Ecclesiarum promoueret.  
 Multa sane focij terra, marique a-  
 spera atque acerba perpessi, Mau-  
 ros inter, Iudæos, transfugas, & hæ-  
 reticos summo capitis, libertatisque  
 discrimine iactati. Verum saluti ani-  
 morum consulentes, corporis vale-  
 tudinem negligunt: tandem tamen  
 Deo bene iuuante, aduersa constan-  
 ter tolerantes superant. Alexandriam  
 delati mox Cayrum, sic enim à na-  
 uigantibus hodie Europæis appel-

latur



latur vrbs, quæ olim Memphis Aegypti veteribus dicta. Ultra hanc di-  
 rû aliquot itinere Patriarchâ in ere-  
 mo S. Antonij repertum salutant: lit-  
 teras à Pontifice Pio muneraq; offe-  
 runt: cum ecce tibi, incertum an mu-  
 tata in deterius sententia, siue, vt affir-  
 mabat, quod nihil tale per legatû po-  
 stulasset, res corrupta lôge aliter ce-  
 cidit. Nunquã enim impetrari ab illo  
 potuit vt errores, palinodia adhibi-  
 ta, abiuraret, cum Ecclesia Romana in  
 gratiam rediret, summumq; Pontificẽ  
 Christianæ Ecclesiæ caput agnosce-  
 ret. Disputatû in vtramq; partẽ acriter.  
 Sacerdos ostendit orientis Oecu-  
 menica Concilia, Græcosq; adeo Pa-  
 tres ad vnũ omnes à nobis stare, illũ  
 causa cadere, & damnari schismata.  
 Errorum itaq; cõuictus ad artes con-  
 fugit, partim obmutescẽs, partim de-  
 fugiẽs. Igitur nihil ab imperito homi-  
 ne, & pertinaci, vt gentis est mos, ex-  
 torqueri, errorue eripi potuit. Fidem  
 itaque habere recusauit socijs, durus  
 homo, qui salutis gentis illius quæ-  
 renda gratia, tam longinquum iter  
 summo

summo



summo vitæ discrimine obiissent. Quamuis autem societatis ea missio Patriarchæ, extra munera, quæ auare retinuit, commodi nihil attulerit, salutaris tamen socijs, & incolis extitit: illis quidem, quod laborem susceptum, re infecta, ratum Deus habuerit: His vero, quod per confessionem plerique Christiani rite expiati, quod rarius in Aegypto accidit, Eucharistię mysterijs expleti vitam reducto cursu mutarint in melius. Sacerdotes item aliquot Græci Romanæ sedis auctoritatem legitime confessi socios admirabantur, nihil illos, dum confitentibus aures darent, accipere aut velle, aut posse: contra atque illi, cum pro rata confessi delicti parte mercedem exigere solerent.

*Collegijs iterum societas aucta & Prouincijs.*

CAP. XI.

**T**Ironum societatis tam frequens numerus erat, vt ad annũ hunc millesimum quingentesimum, & sexagesimum primum Collegia plura fuerint

1561.



fuerint instruenda, atque adeo Pro-  
 uinciæ diuidendæ. In Germania Mo-  
 guntiacense institutū sumptibus Ar-  
 chiepiscopi vniū ē septemuiris Im-  
 perij, qui Academiam, collapsaq; pri-  
 dem sacrarum literarum studia socijs  
 mandauit ad profligandas recentes,  
 ac deprauatas Hæreticorum opinio-  
 nes, iuuentutem quoque optimis &  
 moribus, & sententijs imbui optimus  
 Antistes iussit. Neapolitano in regno  
 Nolæ institutum socijs tironib Col-  
 legium à nobili eius oppidi domina  
 coempto aere suo Comitum Nola-  
 norum palatio. In Hispania Conchē-  
 se octauo quidem ante cœptum anno  
 (Paucos enim socios auitos educabāt  
 Alphonsus Ramires, & Petrus Putea-  
 nus, Ecclesię illius canonici) Formam  
 tamen Collegij hoc anno primum ac-  
 cepit, Hieronymi Natalis, cui Hispa-  
 nam sociorum Prouinciã L A Y N E S  
 commiserat, auctoritate: exadifican-  
 te, sumptusq; suppeditate Petro Mar-  
 quina: quo vita functo, cognatus Lu-  
 pius Marquina, vt bonorum sic & sin-  
 gularis erga societatem beneuolen-  
 tiæ

1553.



tiæ hæres annuis auxit redditibus. Vil-  
 laregij item domini, qui vicus Fontis  
 cognomen inuenit, Ioannes Paciecus  
 Siluius, & Hieronyma Mendoza con-  
 iuges socijs agros attribuunt, alendis  
 tironibus. Eam in fequenti anno do-  
 nationem idem Natalis ratâ habuit.  
 Templum mox, ædesque adiecere.  
 Par etiam beneficentia nobilium vir-  
 ginum fuit, Ioannæ Sunigæ, sororia  
 Hieronymæ: Petronillæ item, & Io-  
 annæ Castellæ fororum. Hic tiro-  
 cinium Prouinciales socij bene po-  
 nunt, vt pietatis æsceticis abunde ex-  
 ercitati è tenebris atque vmbra, in  
 lucem solemque studiorum officio-  
 rumque prodire tandem audeant.  
 Madritanum Collegium per idem  
 tempus inchoatum, quod eo Pincia  
 Vaccæorum domicilium Philippus  
 Rex verè Catholicus, regiamque tra-  
 duxisset. Igitur è rep. visum socios  
 aulicis quoque, & variarum natio-  
 num inquilinis, quâ confitendo, quâ  
 concionando, operam pie nauare.  
 Arcam itaque magno ære coemit, in  
 qua hodie Collegium visitur, matre-  
 na pia



na pia iuxta ac nobilis, quæ Philippum olim puerum educarat Leonora Mascarenias. At non defuere ( vt in piarum originibus rerum ) æmuli, qui & situm nobis inuiderent, & ludum erudiendæ inuentutis, aperiri gratuito vetarent : quæ res tamen per se, vt honestissima, sic & rebus pernecessaria communibus iudicatur. Tempus vero, eiusque filia veritas, rupis instar, ictus aduersariorum tandem retudit, atque infregit. Sedes Villimarenfis in suburbio pœne Burgensi, hoc ipso tempore accepta est referenda docto viro, beneque de societate merito Benedicto Vgucioni Florentino patre nato, Burgensis Ecclesiæ Canonico, Collegiorum numero creuerat & Prouinciarum administrandarum labor, vt ab vno obiri commode non possent. Laborem itaque minuere, Prouinciasque diuidere L A Y N E S constituit. Igitur ex utroque Castellæ regno duæ item sociorum Prouinciæ factæ. Castellæ, vt vocant, veteri idem Natalis ( qui

L A Y-



LAYNIS auctoritate lustrare in Hispania sociorū Collegia iussus erat) Præfectum dedit Ioannem Valdezanum: Toletanæ vero Prouinciæ Ioannem Suares præfecit. Antonio Araozio, qui vtramque ad illud tempus Prouinciã moderatus erat Hispaniarum cõmissa est Prouincia vniuersa, Francisco enim Borgiæ succenturiatus, qui Romam à Pio IV. Pont. Max. euocatus discesserat, administravit.

*Magistratu sese abdicare nititur*

LAYNES.

CAP. XII.

1558.

**T**riennium iã abierat cum LAYNES priuatæ vitæ, qua erat animi demissione amantior, se cogitat abdicare. Cõuentu enim sociorum anno 1558. habito quo Præpositus omnium suffragijs renunciatus erat, deliberandum Pontifex Paulus IV. censuerat, viderēt etiam atque etiam Patres vtrum è re societatis publica magis videretur, Præpositi ne generalis perpetuum esse munus, an aliquot annorum curriculo circumscribi, alterumque continuo subrogari.

Misso



Misso itaq; Petro Pacienco Cardinali Hispano, & animum tandem inclinare significat, vt bona cum venia sua ex Ignatij decreto perpetuum illud munus esset. Sic creatus LAYNES est. Dubitauit denuo Pontifex, coetuq; sociorum iterum coacto, req; in controuersiam vocata, & precibus assiduis, sacrifq; Deo commendata, in eam omnes sententiam summa animorum consensione veniunt, atque subscribunt ad vnum omnes LAYNE excepto ( ne retinere magistratum vellet, Praepositus cum esset, videretur) Ignatij decretum de perpetuo Praepositi generalis magistratu retinendum videri: oblato etiam hac de re Pontifici libello, quo rationum hanc fere momenta collegerant: hanc Deum mentem Ignatio in legibus ferendis dedisse, tale vt decretum faceret de perpetuo illo summoq; magistratu, idq; incredibili consensu Patrum qui frequentes ea de re consultarant, Idem iure consultis visum, idem religiosarum familiarum auctoribus placuisse: idem a sapientissimis philosophis tutissi-



tutissimum gubernandi genus iudicari. Constantem firmamq; eam reip. administrandæ formã esse, cum ad vnum omnia referrentur, & vni ratio rerum gestarum perpetuo constaret. Reges ad hæc, & Principes, hæreditario etiam iure, non arbitrario melius imperare. Episcopos quoq; & id genus dignitates nõ nisi morte obita honores deponere. Quin & Pontificis summã dignitatẽ perpetuam rectius geri. Ad hæc cõmodum id societati fore vt omnes melius noscat, rerumq; vsu, & experimentis auctoritateq; polleat. Seuerius quoq; disciplinã seruari posse perpetuo vnius magistratu. Fore item vt à societate profligentur ciuitatum omniũ pestes, ambitio, prestandi studiũ in candidatis, factiones deniq; ac seditiones. De hinc sumptus, labores, & pericula itinerũ, si perpetua nõ annua sit dignitas, societati minuentur. Perstitit tamen Pontifex in sententia, & vocis oraculo promissit placere sibi, vt tertio quoq; anno comitia socij delegendo Præposito generali haberent: & si ita videretur com



tur communi omnium consensione  
 retinere magistratum, non abdicare,  
 iuberetur. Paul<sup>o</sup> insequētis anni mēse  
 sextili exeunte discessit è vita. Dubi-  
 tatū itaq; valeret ne voce tantum ne-  
 gotium hoc socijs datum, vt triennio  
 quoq; conuentū agerent. Respondent  
 iuris bene periti, & Cardinalium do-  
 ctissimi, quādo Pontificis responsum  
 tabulis non esset, aut diplomate con-  
 signatū, nullum adferre præiudiciū:  
 valere interim Ignatij de perpetua  
 cōmunis societatis Præpositi digni-  
 tate Decretum, ceterasq; leges cōsti-  
 tutas, & promulgatas, quod tabulis  
 consignatæ essent, & à Pontificibus,  
 imo & ab ipso Paulo subscribendo  
 confirmatæ circumferrentur. LAY-  
 NES nihilominus, religione tactus,  
 omnino abdicare se magistratu, & ad  
 conuentum ea de causa Prouinciales  
 socios aggr. gare constituit. Re ita-  
 que ad sacerdotem, qui aures rite  
 confitenti dabat, mature delata, ve-  
 tat ille, ne quid noui tentaret, in-  
 scijs, qui assisterēt Patribus, & quorū  
 arbitrio recte adhuc societatem mode-  
 raretur.

raretur.



raretur. Hi similiter consulti magno  
dissuadent opere, ne societatem no-  
uarum rerum studio turbaret. Ima-  
tij Decretum de magistratu illo sum-  
mo non deponendo, religiose ser-  
uandum, cum illius auctoritate, tum  
quod vna cum cæteris legibus Ponti-  
fices pridem citra exceptionem con-  
firmassent. Ad conuentum vocare so-  
cios, non, nisi urgente necessitate per  
leges licere: sumptibus enim non ne-  
cessarijs prouincias minime esse on-  
randas. Ad hæc patefactum in fene-  
stram alijs, qui post sequerentur, vt  
idem auderent. Quotus enim quisq[ue]  
vitæ innocentia præditus non præfe-  
rat magistratui vitam priuatam, & o-  
ciosam. Ne his quidem sententijs Tu-  
reconsultorum Patrumque iudicio,  
LAYNES acquieuit, sed singulari  
animi demissione, se ipse ad vnguem  
explorans, indignum se ratus, nec fa-  
tis idoneum qui clauum teneret, alte-  
rum cui administrandæ societatis mu-  
nus traderet, dari optabat. Quamob-  
rem ad vniuersum tandem societatis  
corpus referre votum placuit. Ad Pro-  
uinciale



uinciales itaque Europæ, & Professos  
 sacerdotes literas dedit: triennium  
 iam effluxisse, & diem celsisse: rogare  
 aliū indigno sibi sufficiant, munusq;  
 regendæ societatis vniuersæ, alteri  
 tradant. Rationes etiam causasq; can-  
 dide subiecit. Respondent vno ore o-  
 mnes, pergeret porro rectum clauum  
 tenere: onusq; ne detrectaret: interes-  
 se enim societati videri. At stimula-  
 bat hominem Pauli I v. vox, donec  
 Assistentes Pium I v. supplices ro-  
 gant, vellet iuberetq; LAYNEM  
 Præpositi societatis munus bono pu-  
 blico nō detrectare. Religione vero  
 qua obstrictus Pauli Pont. verbis te-  
 neretur, liberaret, scrupulumq; exi-  
 meret. Ille vero ac libēter: irritumq;  
 dictum interpretatur: Ignatij decre-  
 tum de perpetuo Præpositi generalis  
 magistratu factum tectum seruari vi-  
 uæ vocis oraculo iubet, fidem tunc  
 appellauit, & testimonium præsentis  
 Hippolyti Cardinalis Ferrariensis &  
 Apostolicæ sedis legati. Huic vni au-  
 ctoritati cedēs LAYNES, moderare  
 societatem perrexit.

G DE